

DOMINICA IV DE ADVENTU

S. ANTONII PATAVINI, O.Min. DOCTORIS EVANGELICI

Themata sermonis

Evangelium in quarta dominica Adventus: *Factum est verbum Domini super Ioannem*, quod in duabus clausulis dividitur.

In primis thema sermonis ad praedicatores vel Ecclesiae praelatos, ibi: *Super montem excelsum*; [DE PRIMA CLAUSULA] et ibi: *Ite, angeli, veloces* etc, in qua auctoritate septem vitia describuntur.

Item de vita praedicatoris vel praelati et Passione Iesu Christi, ibi: *Vox clamantis in deserto*.

Item in capite ieiunii ad poenitentes, ibi: *Primo tempore alleviata est*.

Item ad religiosos, sacerdotes et praelatos, ibi: *Semita iustitiae*; et ibi: *Vos, sacerdotes Domini*; et ibi: *In die illa vocabo*.

DE SECUNDA CLAUSULA. Thema sermonis de humilitate, ibi: *Omnis vallis implebitur*.

Item de triplici statu bonorum, ibi: *Comede hoc anno*.

Item de poena superbiorum, ibi: *Detracta est usque ad inferos*.

Item de Verbi Incarnatione et ipsius utilitate, ibi: *Utinam dirumperes caelos*.

Exordium. Ad praedicatores vel Ecclesiae praelatos

1. --- In illo tempore: *Factum est verbum Domini super Ioannem, Zachariae filium, in deserto (Lc 3, 2)*.

Dicit Isaias: *Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion; exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Ierusalem (Is 40, 9)*. Quid ista tria: mons, Sion et Ierusalem, significant, videamus.

Mons dictus, quasi motum non habens, constantem iusti vitam significat, de quo Isaias: *Erit, inquit, sicut vir qui absconditur a vento et celat se a tempestate, sicut rivi aquarum in siti, et umbra petrae prominentis in terra deserta (Is 32, 2)*. Ac si diceret: Sic erit vir iustus tutus in tribulationibus, sicut qui, ventum et turbinem fugiens, tuto se abscondit loco, et qui fontes purissimos invenit in deserto, qui solis ardorem sub prominenti devitat saxo. Vir iustus absconditur a vento daemoniacae suggestionis et celat se a tempestate mundanae prosperitatis et irrigatur rivis aquarum, idest gratiarum, contra sitim desideriorum carnalium, et devitat ardorem solis, idest mundanae persecutionis, sub umbra petrae prominentis, idest Iesu Christi, in tribulatione protegentis. Vita ergo iusti est mons.

Sed e contra dicit Isaias: *Commotum est cor eius, idest regis Achaz, et cor populi eius, sicut moventur ligna silvarum a facie venti (Is l.c.)*. Hoc est quod dicit Iob: *Mons cadens defluit, et saxum transfertur de loco suo; lapides excavant aquae, et alluvione paulatim terra consumitur (Iob 14, 18-19)*. Quaere superius in historia Iob (*Dominica XIV post Pentecosten, tertia clausula*).

Super montem ergo excelsum, qui cadens non defluit, ascende tu, qui evangelizas Sion. Ibi GREGORIUS: Qui caelesti praedicatione utitur, ima iam terrenorum operum deserens, in rerum culmine stare videtur; tantoque facilius subditos ad meliora pertrahit, quanto per vitae meritum de supernis clamat. Illa namque vox auditorum cor libentius penetrat, quam dicentis vita commendat, quia quod loquendo imperat, ostendendo adiuvat, ut fiat.

Sequitur: *Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Ierusalem.* Sion, quae erat inferior pars civitatis, saeculares significat; Ierusalem, quae superior, religiosos. Cum Sion evangelizas, in montem excelsum ascende, ut ab inferiori ad superius post te ascendat. Unde dicitur in secundo libro Regum: *Porro David ascendebat Clivum Olivarum, scandens et flens, operto capite et nudis pedibus incedens; sed et omnis populus, qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans (2 Reg 15, 30).* David est praedicator, qui ascendens Clivum Olivarum, idest excellentiam vitae, quae illuminatur et impinguatur oleo divinae misericordiae, tria debet facere, scilicet flere, caput operire et nudis pedibus incedere. Flere cum Axa, pro irriguo inferiori et superiori; caput, quod omnes sensus capit, cooperire; a mundi vanitate nudis pedibus incedere, idest mentis affectus, ab omni mortua pelle propriae voluntatis et proprietatis, nudare. Si ita ascenderit, omnis populus, operto capite a mundi vanitate et plorans peccata sua, post eum ascendet devotione. Sed populus non legitur nudis pedibus sicut David incedere, quia saecularibus licitum est proprium possidere.

Item, cum Ierusalem, idest religiosis, evangelizas, in fortitudine vocem tuam exalta, ut fortiter animentur et exultent ad currendam viam et percipiendam coronam incorruptam. Unde dicit Iob de equo, idest viro iusto: *Ubi audierit bucinam, idest praedicationem, fortiter intonantem, dicit: Vah! (Iob 39, 25). Exultat enim audacter et in occursum pergit armatis, contemnit pavorem, non cedit gladio (Iob 39, 21-22).* In montem excelsum ascenderit et in fortitudinem vocem suam exaltaverat maximus praedicator, beatus Iohannes Baptista, de quo et ipsius praedicatione dicitur in hodierno Evangelio: *Factum est verbum Domini.*

2. --- Nota quod, in hoc Evangelio duo notantur: excellentia praedicationis et vallis humilitatis. Primum ibi:

Factum est. Secundum ibi: Omnis vallis.

In introitu missae cantatur: ***Memento nostri, Domine;*** et legitur epistola beati Pauli ad Corinthios: ***Sic nos existimet homo,*** quam in duabus particulis volumus dividere et cum duabus clausulis Evangelii concordare. Prima particula: ***Sic nos.*** Secunda: ***Itaque nolite ante tempus iudicare.***

I - De excellentia praedicationis

3. --- Dicamus ergo: ***Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariae filium in deserto.*** Ioannes praelatum vel praedicatorem sanctae Ecclesiae significat, qui debet esse filius Zachariae, qui interpretatur memoria Domini, ut semper habeat in memoria, quasi quoddam memoriale, Passionem Iesu Christi. Unde Isaias: ***Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animae. Anima mea desiderabit te in nocte, sed et spiritu meo in praecordiis meis de mane vigilabo ad te (Is 26, 8-9).*** In nocte adversitatis ipsum desiderare et in mane prosperitatis ad ipsum debemus vigilare, eiusque Passionis memoriale in memoria retinere. Unde dicitur in Exodo: ***Erit quasi signum in manu tua, et quasi in monimentum ante oculos tuos (Ex 13,9).*** Et in Deuteronomio: ***Erunt verba haec, scilicet Incarnatio et Passio Domini, in corde tuo; et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis quasi signum in manu tua, eruntque mota et movebuntur ante oculos tuos; scribesque ea in limine et ostiis domus tuae (Deut 6, 6-9).***

Si praelatus vel praedicator fuerit filius Zachariae, dicens cum Propheta: ***Memor fui Dei et delectatus sum (Ps 76, 4),*** scilicet in eius Passionis amaritudine, ut dicat cum sponsa in Canticis: ***Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur (Cant 1,12)*** fiet super eum verbum Domini, verbum vitae et pacis, verbum

gratiae et veritatis, verbum quod vidit Isaias, filius Amos, super Iudam et Ierusalem, idest super animam confitentem et pacifice secum commorantem. O verbum non verberans, sed cor inebrians! O verbum dulce, confortans peccatorem et beatæ spei! O verbum, *aqua frigida animae sitiendi, nuntius bonus* bona nuntians *de terra longinqua!* (*Prov 25,25*). Hic *sibilus aurae tenuis* (*3 Reg 19,12*), idest inspiratio Dei omnipotentis, de qua in Iob: *Ut video, spiritus est in hominibus, et inspiratio virtutis Omnipotentis dat intelligentiam* (*Iob 32, 8*). O quam beatus et vere Ioannis dignus appellatione, super quem factum est verbum istud! Fiat, Domine, obsecro, verbum tuum super *servum tuum secundum verbum tuum in pace* (*Lc 2, 29*). *Lucerna pedibus meis verbum tuum* (*Ps 118, 105*).

Audivimus super quem fit. Sed, in quo loco fit? *In deserto*, inquit. Ubi desertum, ibi verbum. Desertum illum, dico, de quo in Psalmo: *In terra deserta, invia et inaquosa; sic in sancto* etc. (*Ps 62, 3*). Quaere superius, in Evangelio: *Cum immundus spiritus exierit* etc. (*Dominica III in Quadragesima, quarta clausula*).

4. --- Sequitur: *Et venit in omnem regionem Iordanis* (*Lc 3, 3*). Super quem fit verbum divinae inspirationis, sine dubio venit in regionem Iordanis, qui interpretatur humilis descensus, in quo compassio circa proximum designatur. Praelatus vel praedicator descendat et condescendat, ut proximum iacentem erigat.

Super hoc habes concordantiam in Isaia, ubi praedicatoribus loquitur Dominus: *Ite, angeli veloces, ad gentem convulsam et dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius, ad gentem expectantem et conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius* (*Is 18,2*). In hac auctoritate septem vitia notantur, quibus humanum genus dissipatur. O *angeli*, idest praelati vel praedicatores, *ite veloces*, quia mora

trahit periculum, et ideo dixit Dominus apostolis: *Neminem salutaveritis per viam (Lc 10, 4)*, scilicet, ne cursus vestrae praedicationis impediatur. Et in quarto Regum Eliseus Giezi: *Si, inquit, occurrerit tibi homo, non salutes eum: et si salutaverit te quispiam, non respondeas illi (4 Reg 4, 29)*. Ite ergo *veloces, ad gentem*, idest gentiliter viventem, *convulsam* a radice humilitatis spiritu superbiae, unde Iob: *Quasi avulsae arbori abstulit spem meam (Iob 19, 10)*; *dilaceratam* invidia, quae cor dilacerat, de qua Nahum propheta: *Vae, civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena (Nah 3,1)*; *ad populum terribilem ira*, de qua Iob: *Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est (Iob 16,10)*; *gentem expectantem mercedem vanaegloriae*; *Receperunt, inquit, mercedem suam (Mt 6,5)*; et Ieremias: *In viis sedebas, exspectans eos quasi latro in solitudine (Ier 3, 2)*; *et conculcatam avaritia*, unde Isaias: *Ponat illum in conculcationem sicut lutum platearum (Is 10,6)* de quo Habacuc: *Vae qui multiplicat non sua! Usquequo aggravat contra se densum lutum? (Hab 2, 6) cuius diripuerunt flumina*, idest gula et luxuria, *terram*, idest mentem eius, de quibus in Ezechiele: *Ecce ego ad te, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum et dicis: Meus est fluvius (Ez 29, 3)*.

Quam necessaria sit praedicatione ex hac auctoritate colligitur, de qua in Evangelio subinfertur: *Praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum (Lc 3, 3)*. Hoc est quod dicit Isaias: *Lavamini, mundi estote (Is 1,16)*; et paulo post: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt (Is 1, 18)*. Quaere superius in Evangelio: *Assumpsit Iesus Petrum et Iacobum et Ioannem etc. (Dominica II in Quadragesima, sermo prior, secunda clausula)*.

Item, dicit Dominus in Isaias: *Delevi, inquit, ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua; revertere*

*ad me, scilicet poenitendo, quoniam redemi te (Is l.c.) sanguine meo. Item, Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Ierusalem et advocate eam, quoniam completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius. Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis (Is 40, 1-2). Ibi dicit GLOSSA: Causa consolationis, remissio peccatorum; causa remissionis, quia suscepit duplicia. Notandum quod non solvuntur peccata nostra, nisi de manu Domini receperimus ea. Nec idem est solvi peccata et dimitti; cui enim dimittuntur solutione non indiget. Unde: *Dimittuntur tibi peccata tua*. Cum autem solvuntur, propterea solvuntur, quia purgata sunt et soluta per poenas.*

5. --- Sequitur: *Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiae prophetae: Vox clamantis in deserto (Lc 3,4)*. Nota ista tria: vox, clamantis et deserto. Quae est vox, quis clamans et quid desertum? Vox est praedicator; clamans, Christus; desertum ipsius crux.

Vox est aer, et praedicator debet esse aereus, idest caelestis, ut eius conversatio sit in caelis. Unde dicitur in Exodo, quod *sub pedibus Domini erat quasi opus lapidis sapphirini, et quasi caelum quod serenum est (Ex 24, 10)*. Sapphirus colorem habet aereum; opus lapidis sapphirini est vita sancti praedicatoris, qui mentis humilitate est subiectus pedibus dominicae Incarnationis, et in aere suspensus contemplatione caelestis beatitudinis. Unde Isaias: *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbae ad fenestras suas? Is 60,10*). Sancti praedicatores dicuntur nubes, quia leves, idest exonerati terrenis: pluunt verbis, intonant minis, corruscant exemplis, volant in caelum virtutum pennis. Et, quasi columbae simplices, stant ad fenestras, custodientes quinque sensus sui corporis, ne mors intret in domum mentis. O Domine, si talem vocem audirem, cum Adam clamarem: *Vocem tuam audivi, et timui! (Gen 3,10)*. Vox talis non hominis, sed quasi sublimis Dei. *Sonet ergo vox tua in auribus meis; vox*

tua dulcis (Cant 2, 14). A tali voce contremuerunt labia mea (Hab 3, 16). Vox, inquit, tonitruui tui in rota (Ps 76, 19). Sed, heu! non audio vocem, sed mugitum et mussitationem, unde Isaias: De terra loqueris; et de humo audietur eloquium tuum, et erit quasi pythonis de terra vox tua, et de humo eloquium tuum mussitabit (Is 29,4). Quaere superius in Evangelio: Homo quidam fecit cenam magnam (Dominica II post Pentecosten, secunda clausula). Haec mussitatio non est clamantis Christi, qui non terrena, sed caelestia nobis dixit, qui, ut dicit Isaias, clamavit ut leo (Is 21, 8).

Sed, ubi? *In deserto, inquit. Desertum fuit ipsius crux, in qua fuit derelictus, nudus et spinis coronatus: ibi clamavit. Unde Amos propheta: Morietur in sonitu Moab, in clangore tubae (Am 2, 2). Moab est diabolus, qui mortuus fuit in clangore tubae, idest praedicationis dominicae, et in sonitu ipsius, clamantis in cruce: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (Ls 23, 46; Cf. Ps 30, 6). Unde iterum Isaias: Ecce Dominator, Dominus exercituum, confringet lagunculam in terrore, et excelsi statura succidentur, et sublimes humiliabuntur; et subvertentur condensa saltus ferro, et Libanus cum excelsis cadet (Is 10, 33-34). Laguncula est humanitas Christi, de terra virgine assumpta, quam confregit in Passione. Et hoc in terrore daemonum, qui, excelsi statura, succisi sunt a sua potentia; et sublimes, idest superbi Iudaei, in vindicta Passionis Christi sunt humiliati, idest deiecti; et condensa saltus, idest Ierusalem terrestris, quam sic vocat propter multitudinem populi, est subversa ferro Titi et Vespasiani; et Libanus, idest templum, cum excelsis, idest sacerdotibus, cecidit.*

6. --- Sequitur: *Parate viam Domino (Lc 3,4). Dicit Isaias: Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephthali; et novissimo aggravata est via maris (Is 9, 1). Hoc est triduum, de quo dicit Sanctus Moyses in Exodo: Viam trium dierum pergemus in solitudinem et*

sacrificabimus Domino Deo nostro (Cf. Ex 3,18). *Primo tempore*, idest gratiae infusione, quae primo praevenit peccatorem, *terra*, idest eius mens, *alleviatur* in contritione a peccati onere; et tunc est *terra Zabulon*, qui interpretatur habitaculum fortitudinis. Quem enim gratia inhabitat, fortitudine constantiae corroborat. Unde Isaias: *Qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt fortitudinem et robur multiplicat (Is 40,29)*. *Alleviatur* etiam in confessione, cum peccatum et circumstantias peccati deponit; et tunc est *terra Nephthali*, qui interpretatur dilatatio. Mens peccatoris dilatatur in confessione, sicut dixit Dominus ad Iacob in Genesi: *Dilataberis ad orientem et occidentem, septemtrionem et meridiem (Gen 28, 14)*.

Nota quod sacerdos peccatori in confessione quattuor debet proponere. Si dolet et poenitet de commissis et omissis; si poenitentiam ab ipso sibi iniunctam humiliter vult observare; si habet firmum propositum de cetero mortaliter non peccare; si proximo satisfacere, ignoscere ex corde et ipsum diligere. Si haec quattuor vult facere, tunc ei poenitentiam debet iniungere et ipsum absolvere, aliter non. Cum ergo dolet et poenitet, tunc dilatatur ad orientem, quia illuminatur a sole iustitiae. Cum sacerdotis voluntati et voci vult obedire, tunc dilatatur ad occidentem; a seipso enim occidit dum alteri se subicit. Cum habet firmum propositum non relabendi, tunc ad septemtrionem vel aquilonem, in quo diaboli tentatio intelligitur, dilatatur. Ad aquilonem se dilatatur, qui diabolum impugnantem impugnat. Ut bene tu pugnes, bene pugnans efficit hostis. Cum proximum vult diligere, tunc ad meridiem, in quo fervor caritatis intelligitur dilatatur.

Si has duas dietas ita peregerit, ad tertiam pervenire poterit, de qua subditur: *Et novissimo aggravata*, idest graviter afflicta, *est via maris*. Via maris est satisfactio poenitentiae, quae vere est amara. Unde Isaias: *Amara est potio bibentibus illam (Is 24, 9)*. In

primis duobus anima alleviatur, in tertio vero graviter caro affligitur. Unde GREGORIUS: Necesse est ut caro, quae laeta duxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam. Haec est via, per quam Dominus venit ad animam. Beatus qui sic parat. *Paratum, inquit, cor meum, Deus* etc. (Ps 56, 8).

7. --- Sequitur: *Rectas facite semitas Dei nostri (Lc 3,4)*. Dicit Isaias: *Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum (Is 26,7)*. Semita dicta, quasi medium iter. Semita est quaelibet religio, quae voto paupertatis, continentiae et obedientiae se coarctavit et coangustavit. Unde Isaias: *Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat; et pallium breve utrumque operire non potest (Is 28, 20)*. Stratum est religio, quae si bene fuerit coangustata, tamquam semita, solum suscipiet sponsum castitatis et obedientiae spiritum, et expellet adulterum fornicationis et inobedientiae vitium. Et breve pallium paupertatis utrumque, idest proprietarium et spiritu pauperculum, operire non potest. *Quae conventio Christi ad Belial? (2 Cor 6, 15)*. Quae conventio pauperculi et proprietarii, qui est quasi Belial inter filios Dei? *Rectas ergo, o religiosi, facite semitas Dei nostri*.

8. --- Huic primae clausulae concordat prima particula epistolae: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores ministeriorum Dei (1 Cor 4, 1)*. De quibus Isaias: *Vos sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri (Is 61,6)*. Ministri et dispensatores sunt praelati et praedicatores, qui verbum Domini ministrant, baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum praedicant, de quibus Isaias: *Quam pulchri, idest a peccati pulvere mundi, super montes, idest virtutes, pedes annuntiantis, praedicantis pacem, idest Dei et peccatoris reconciliationem, annuntiantis bonum, idest gratiae infusionem, praedicantis salutem, idest vitae beatitudinem, dicentis: O Sion, idest anima, regnabit, scilicet in te, Deus tuus (Is l.c.), non peccatum*.

Hic iam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur (1 Cor 4, 2). De fidei dispensatore dicit Dominus in Isaia: In die illa vocabo servum meum Eliacim, filium Helciae, et induam illum tunica tua, et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manu eius, et erit quasi pater habitantibus in Ierusalem et domui Iuda (Is 22, 20-21). Eliacim interpretatur Dei resurrectio, et significat fidelem Ecclesiae dispensatorem, per quem Deus resuscitat ad poenitentiam peccatorem. Hic est filius Helciae, idest iustitiae, qui, indutus tunica misericordiae et confortatus cingulo continentiae, est quasi pater omnibus fidelibus Ecclesiae. Ubi tam fidelis dispensator potest hodie inveniri? Heu! ut dicit Isaias: Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, scilicet olim, plena iudicii? Iustitia habitavit in ea, nunc autem homicidae. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua; principes tui infideles, socii furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, causa viduae non ingreditur ad eos (Is 1, 21-23). Argentum, idest praelatorum et praedicatorum eloquentia, versum est in scoriam vanae gloriae. Vinum praedicationis mixtum est aqua adulationis et lucris temporalis. Cetera expositione non indigent, quia oculis omnium patent.

Rogemus, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut verbum suae inspirationis super nos fiat, baptismo poenitentiae nos abluat, qua viam illi parare et rectas semitas facere valeamus. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

II - De valle humilitatis

9. --- Sequitur secundum. *Omnis vallis implebitur.* Hoc est quod dicit Dominus in Isaia: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperulum et contritum spiritu, et tremeniam sermones meos? (Is 66, 2).* Vallis est humilitas mentis, de qua Ieremias: *Vide vias tuas in convalle (Ier 2, 23), idest*

cognosce peccata tua in duplici humilitate. Humilitas ostendit homini seipsum. Unde Isaias: *Cognosceatur Dominus ab Aegypto, et cognoscent Aegyptii Dominum in die illa (Is 19, 21)*. In die, idest claritate humilitatis, Aegyptii, idest tenebrosi superbi, cognoscunt Dominum, et e converso, et sic seipsos. Unde AUGUSTINUS: Domine, da mihi cognoscere te et me. Unde Isaias, postquam vidit Dominum, seipsum arguit, dicens: *Vae mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum (Is 6,5)*. Et Dominus dicit Ezechieli: *Fili hominis, ostende domui Israel templum, idest Iesum Christum, et confundantur ab iniquitatibus suis (Ez 43, 10)*.

Omnis ergo vallis implebitur, illo scilicet grano frumenti, quod cadens in terram mortuum fuit, de quo in Psalmo: Valles abundabunt frumento (Ps 64, 14). Beata Maria, quia vallis, ideo plena fuit, et de plenitudine eius omnes nos vacui accepimus. Unde in Psalmo: Replebimur ab ubertate domus tuae. Soli humiles implebuntur illa ubertate, quam Dominus promittit in Levitico: *Dabo vobis pluvias temporibus suis, et terra gignet germen suum et pomis arbores replebuntur (Lev 26,3-4)*. Dat Dominus pluvias, cum gratiam compunctionis infundit. Unde Isaias: *Dabitur pluvia semini tuo, ubicumque seminaveris in terra (Is 30, 23)*, quae gignet suum germen. Ex pluvia compunctionis gignitur germen bonae voluntatis, et sic arbores, idest sensus corporis, replentur pomis boni operis.

10. --- De quibus habes concordantiam in Isaia, ubi loquitur ad Ezechiam: *Comede, inquit, hoc anno quae sponte nascuntur, et in anno secundo pomis vescere; in anno autem tertio seminate et metite, plantate vineas, et comedite fructum earum (Is 37, 30)*. Nota quod triplex est status bonorum, qui in hoc triplici anno designatur, scilicet incipientium, proficientium et perfectorum. Incipientes, gratia gratis data praeventi, comedunt quae sponte nascuntur. Hoc est quod dicit Dominus in Osee:

Diligam eos spontanee (Os 14, 5). Nullis enim meritis praecedentibus, sola Dei benignitate a gratia reficiuntur. Unde dicit beatus BERNARDUS: Nonnumquam purae orationis affectus et bona illa affectionis suavitas non invenitur, sed quasi invenit, [cum] non petentem, non quaerentem, non pulsantem et quasi nescientem gratia praevenit; et tamquam gens servorum suscipitur in mensa filiorum, cum rudis et adhuc incipiens animus in eum orandi assumitur affectum, qui pro praemio sanctitatis reddi solet meritis perfectorum. Item, proficientes, quasi in secundo anno, pomis bonorum operum vescuntur, ut bona voluntas, quae prius erat in affectu, iam sit in operis effectum. Perfecti vero sunt, quasi in tertio anno, affluentes omnimoda copia plenitudinis. Unde in Psalmo: *Benedices coronae, idest vitae iustorum perfectae, anni benignitatis tuae, et campi tui replebuntur ubertate (Ps 64, 12).* Bene ergo dicitur: *Omnis vallis implebitur.*

Haec impletio est illa visitatio, de qua dicitur in introitu hodiernae missae: *Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui (Ps 105,4).* Hoc est quod dicit Isaias: *Attende de caelo et vide, Domine, de habitaculo sancto tuo et solio gloriae tuae (Is 63, 15).* Et iterum: *Ne irascaris, Domine, satis; et ne ultra memineris iniquitatis nostrae. Ecce, Domine, respice, populus tuus omnes nos (Is 64, 9).* *Visita nos in salutari tuo (Ps 105, 4),* idest in Filio tuo, ut valles impleantur frumento.

11. --- Sequitur: *Et omnis mons et collis humiliabitur (Lc 3, 5).* Hoc est quod dicit Isaias: *Detracta est usque ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum; subter te sternetur tinea et operimentum tuum erunt vermes (Is 14, 11).* Nota ista duo: mons et collis. Mons, superbia in corde; collis, superbia in opere. Illa maior ista. Unde Isaias: *Audivimus superbiam Moab: superbus est valde; superbia eius et arrogantia eius et indignatio eius, plusquam fortitudo eius (Is 16, 6).* Ibi dicit INTERLINEARIS: Plus audet quam possit. *Idcirco ululabit*

Moab ad Moab, universus ululabit Is 16,7). Scilicet, in interno superbus ad superbum, luxuriosus ad luxuriosum in tormentis ululabit, et contra se mugient. Unde Isaias: Pilosus clamabit alter ad alterum (Is 34, 14). Item, Incurvabit habitantes in excelso, civitatem sublimem humiliabit; humiliabit eam usque ad terram, detrahet eam usque ad pulverem (Is 26, 5). Unde iterum dicit: Pedibus, scilicet daemonum conculcabitur corona superbiae ebriorum Ephraim (Is l.c.). Et iterum: Sede, tace, et intra in tenebras, filia Chaldaeorum, quia non vocaberis ultra domina regnorum (Is 47, 5) . Omnis ergo mons et collis humiliabitur.

12. --- Aliter exponitur de bona humilitate. Dicit Isaias, adventum Christi desiderans et ipsius humilitatem praevidens: *Utinam dirumperes caelos et descenderes, a facie tua montes defluerent. Sicut exustio ignis tabescerent, aquae arderent igni (Is 64, 1-2)*. Vide quanto desiderio ardeat, qui caelos dirumpi optat, ut invisibilem in carne visibilem videre valeat. Dirumpatur caelum, descendat Verbum, a cuius facie defluat superbia montium. *A facie, inquit, tua, idest tuae humanitatis praesentia, montes defluerent*. Quis tam superbus, arrogans et inflatus, si bene attenderet maiestatem exinanitam, potentiam infirmatam, sapientiam balbutientem? Nonne cor eius sicut cera a facie ignis deflueret et cum Propheta diceret: *In veritate tua, idest in Filio tuo humiliato, o Pater, humiliasti me? (Ps 118,75)*.

Et *sicut exustio ignis, idest lignum, foenum, stipula, avari tabescerent*. Quis enim tam avarus, si bene consideraret Dei Filium, pannis involutum, praesepio reclinatum, qui non habuit ubi reclinaret caput (Cf. Lc 9, 58), nisi ubi inclinato capite tradidit spiritum? Nonne ab amore terrenorum tabesceret, et omnis eius pecunia sicut exustio ignis in cinerem redigeretur? et *aquae, luxuriosi, qui quotidie lapsibus suis tendunt in infernum, arderent igni Spiritus Sancti, qui exsiccatur humorem*

luxuriae et confert gratiam continentiae?

13. --- Sequitur: *Et erunt prava in directa (Lc 3, 5)*. Hoc est quod dicit Isaias: *Derelinquat impius viam suam, scilicet pravam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum et miserebitur eius* etc. (Is l.c.) Dicit Ieremias: *Pravum est cor hominis et inscrutabile, quis cognoscet illud? (Ier 17, 9)*. De cuius pravitate dicit Isaias: *Abiit vagus, idest amens, sicut Cain, cui dictum est: Eris vagus et profugus super terram (Gen 4, 12), in via, idest prava actione, cordis sui*. Cor pravum tunc fit directum, cum evenit illud quod dicit Isaias: *Redite, praevaricatores, ad cor (Is 46,8)* idest intellectum, qui quasi bestiae vixistis. Et iterum: *Convertimini, sicut in profundum recesseratis, filii Israel (Is 31, 6)*. Et iterum: *Si quaeritis, quaerite, convertimini et venite (Is 21, 12)*. *Si quaeritis* meum auxilium in adversitate, *quaerite* similiter in prosperitate. *Convertimini* ad me corde, *venite* opere.

Sequitur: *Et aspera in vias planas (Lc 3,5)*. Hoc est quod dicit Isaias: *Super vias pascentur, et in omnibus planis pascua eorum; non esurient neque sitient, et non percutiet eos aestus et sol, quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos (Is 49, 9-10)*. Aspera sunt ferocium corda, quae tunc sunt in vias planas, cum efficiuntur mollia et mansueta. Hoc est quod dicitur in quarto libro Regum, ubi dicit Isaias: *Afferte massam ficorum. Quam cum attulissent et posuissent super ulcus Ezechiae, curatus est (4 Reg 20, 7)*. Ulcus in carne est ferocitas in mente; massa ficorum, mansuetudo et affabilitatis dulcedo, quae ferocitatis curant ulcus. Unde in Parabolis: *Patientia lenietur princeps, et lingua mollis confringet duritiam (Prov 25, 15)*.

Sequitur: *Et videbit omnis caro salutare Dei (Lc 3, 6)* idest omnis homo, in iudicio, Iesum Christum. Impii *videbunt*, ad confusionem suam, *in quem transfixerunt (Io 19, 37)*. Unde Isaias: *In terra sanctorum iniqua gessit, et*

non videbit gloriam Dei (Is 26, 109). SEPTUAGINTA transtulerunt: Auferatur impius, ut non videat claritatem Dei. Iusti vero, ut dicit Isaias, oculo ad oculum videbunt cum converterit Dominus Sion (Is 52,8).

14. --- Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: *Nolite ante tempus iudicare (1 Cor 4, 5)*. Contra quos, ut dicit Isaias: *Vae, qui dicitis malum bonum, et bonum malum; ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum (Is 5, 20)*. *Quoadusque veniat Dominus (1 Cor l.c.)*. Unde Isaias: *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium eius dominabitur. Ecce merces, idest retributio omnium, cum eo, et opus illius, idest crux et instrumenta Passionis, qua operatus est salutem in medio terrae (Ps 73, 12), coram illo (Is l.c.) ad confusionem reproborum.*

Qui et illuminabit abscondita tenebrarum (1 Cor 4,5). De quo Isaias: *Erit lumen Israel in igne, et Sanctus eius in flamma (Is 10, 17)*. Lumen ut illuminet, in igne ut examinet, in flamma ut comburat.

Et manifestabit consilia cordium (1 Cor l.c.). Hoc est quod dicit Isaias: *Pro eo quod elevatae sunt filiae Sion, in quo cordis elatio, et ambulaverunt extento collo, in quo arrogantia in membris; et nutibus oculorum ibant, in quo lascivia, et plaudebant, et ambulabant, et pedibus suis composito gradu incedebant, ecce levitas et instabilitas, ideo in die iudicii decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, quia quod occultum est patebit et foeda calvities apparebit, et Dominus crinem, idest cogitationes et consilia, earum nudabit (Is 3, 16-17)*. Haec erit ignominia impiorum.

Sed tunc, cum videbit omnis caro salutare Dei (Lc 3, 6), laus erit unicuique iusto a Deo (1 Cor l.c.). Unde Isaias: *Dicite iusto quoniam bene (Is 3, 10)*. Quia illa laus et

gloria sanctorum non potest exprimi, ideo Isaias, quanta vel qualis esset non expressit, sed tantum dixit: *bene*.

Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut montes humiliet, prava rectificet, aspera mollificet, qua ad illud *bene, quod oculus non vidit, quia absconditum est, nec auris audivit, quia quietum est, nec in cor hominis ascendit (1 Cor 2,9), quia incomprehensibile est, pervenire mereamur. Ipso praestante, qui in primo adventu fuit humilis, in secundo erit terribilis, amabilis, suavis et desiderabilis et benedictus per aeterna saecula. Dicat omnis humilis anima: Amen. Alleluia.*